

CASUS

DE OCTAVO PRÆCEPTO DECALOGI

SEU

*De mendacio et restrictione mentali. — De detractioe et calumnia.
— De secreti violatione.*

CASUS I.

DE MENDACIO ET RESTRICTIONE MENTALI 1°.

1° JOVIANUS, facetus æque et obsequiosus homo, rerum theologiarum non omnino ignarus, sæpius, non illæsa veritate, loqui solet, sive ad lepide cum sociis jocandum, sive etiam ad proximo obsequendum, ratus se in his ne levissime quidem peccare. Contendit enim : 1° verba jocosa contra veritatem non esse mendacia, cum desit in loquente decipiendi intentio; 2° nec verba mere obsequiosa, cum absque ullius detrimento proferantur.

2° BERTINA, ancilla, jubente domino, extraneis hunc requirentibus dicit : *Dominus abest, domo egressus est, domi non est.* Sed anxia interrogat Confessarium, qui respondet esse locum deserendum, et potius moriendum quam mentiri unquam.

HINC :

QUÆR. 1° *An, vel quænam restrictio mentalis liceat?*

2° *Quid de JOVIANO et BERTINA?*

SOLUTIO :

414. — *R. ad 1^m Quæ.* 1° Nunquam licet uti restrictione *stricte mentali*, seu locutione duplicem sensum habente, si sensus loquentis percipi nequeat; neque licet uti amphibologia humano modo *non perceptibili*, quia hoc est simpliciter mendacium : nunquam autem mentiri fas esse potest. *Vide dicenda in casu sequenti.*

415. — 2° Aliquando vero, ex gravi causa licet uti restrictione *late mentali*, et verbis æquivocis, quorum sensus a loquente intentus facile intelligi possit. Ratio est, quia modus ille loquendi non est mendacium, cum proximus sic non necessario decipiatur, sed ex gravi causa ejus deceptio permittatur. Deinde hoc ad bonum societatis necessarium est, ut modus celandi secretum magni momenti habeatur. Nam aliquando non minus noxium est societati verum dicere, quam falsum proferre; valde enim commercio humano perniciosum esset, si hæc industria deesset, non solum personis publicis, sed etiam privatis. Constat insuper ex exemplo Christi Domini, qui pluries his restrictionibus usus est. Sic *Joan.* 7, 10, interro-

gatus utrum ascenderet Jerosolymam ad diem festum, respondit : *Non ascendo ad diem festum istum*, id est, *manifeste vel hic et nunc*; nam paulo post occulte ascendit. Alias interrogatus de die judicii (*Marc.* 13. 32), ait : *De die autem illa nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius, nisi Pater*; id est, *ad manifestandum*, ut petebant discipuli. Et *Joan.* 11. 11 : *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum*; id est, *mortuus est*, quod discipuli non perceperunt, ut in ipso Evangelio declaratur : *Illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret...* *Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si dormit, salvus erit.* Et *Joan.* 2. 19 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* : id est, *templum corporis sui*, quod Judæi non percipiebant. *S. Lig. n.* 152.

416. — *R. ad 2^m Quæ.* In primo casu : Errat JOVIANUS contendens verba jocosa et obsequiosa contra veritatem non esse mendacia. Nec refert quod absque proximi detrimento proferantur, quia sequitur ex hoc tantum ea non esse contra justitiam et caritatem; sed non impedit quin veritati repugnent : excipe tamen, quoad verba jocosa, si intentio jocandi ita pateat ut facillime percipi possit, sive ex re ipsa quæ dicitur, ut sunt Vasconum locutiones, sive ex tono vocis lepido, sive ex aliis circumstantiis. Hinc collige quandonam peccaverit JOVIANUS, vel a peccando sit excusandus. Cæterum in his nullatenus de peccato gravi arguendus est, quia deordinatio levis tantum apparet.

In secundo casu : Confessarius potius culpandus est quam pœnitens. Hæc enim locutio communissimo usu recepta est, ita ut mera sit formula ad significandum dominum videri non posse. Reperiuntur quidem Theologi id ut mendacium prohibentes; sane quia, eorum tempore vel in eorum regione, usus ille non adeo invaluerat. *S. Lig. l.* 3, *n.* 165.

CASUS II.

RESTRICTIO MENTALIS 2°.

1° THEOFRIDUS, hæres factus, cum bona occultasset, ex quibus non tenebatur creditoribus satisfacere, respondit se nihil prorsus occultasse. Alias, cum mutuo accepto jam satisfecisset, a judice interrogatus an illud accepisset, negavit se accepisse. Alias etiam a præposito gabellarum interrogatus utrum res tributo subjectas deferret, respondit se nihil deferre.

2° ANNA, cum adulterium commisisset, viro de hoc suspicanti et sciscitanti respondit prima vice, se matrimonium non fregisse; secunda vice, cum jam a peccato fuisset absoluta, respondit : *Innocens sum a tali crimine.* Tandem tertia vice, adhuc instante viro, adulterium prorsus negavit dixitque : *Non commisi*, intelligendo adulterium tale quod teneat revelare; seu : *Non commisi adulterium tibi revelandum.*

HINC :

QUÆR. 1° *An de mendacio damnandus sit THEOFRIDUS?*

2° *An damnanda ANNA?*

SOLUTIO :

417. — *R. ad 1^m Quæst.*, seu ad casum THEOFRIDI.

1^o THEOFRIDUS non peccavit contra veritatem *in primo casu*, quia revera nihil occultavit in sensu interrogantis, seu in sensu in quo juste interrogari poterat. Hinc, respondendo se nihil occultasse, idem est ac si dixisset se nullam injuriam erga creditores commisisse, siquidem, in hoc solo sensu, iudex vel ipsi creditores interrogare possunt. *S. Lig. n. 158.*

2^o Neque peccavit *in secundo casu*, ob eandem rationem; quia de solo debito interrogatur, scilicet utrum acceperit mutuum, et illud non restituerit. *S. Lig. l. 4, n. 159.*

3^o Neque censendus est peccasse *in tertio casu*, saltem in sententia probabili et communi, quæ tenet leges hujusmodi tributorum, seu ratione rerum quæ transferuntur de loco in locum, esse mere pœnales. Hinc dicere: *Nihil defero*, significat, *quod sponte manifestare debeam; tum est investigare, non vero interrogare.* Clericis tamen suadendum est ut veritatem candide aperiant, ne, ea denegata, et negatione forte cognita, scandalum subsequatur.

418. — *R. ad 2^m Quæst.*, seu ad casum ANNE. In triplici memorato casu, *Anna*, a mendacio excusari potest. Etenim:

In primo casu, dicere potuit se matrimonium non fregisse, siquidem adhuc subsistit.

In secundo casu, potuit dicere se innocentem esse ab adulterii crimine, siquidem, peracta confessione, et recepta absolutione, ejus conscientia ab illo non amplius gravabatur, cum certitudinem moralem haberet illud sibi remissum fuisse. Imo potuit hoc asserere etiam cum juramento, juxta *S. Lig. n. 162. — Less. — Salm. — Suar. — cum sententia communi.*

In tertio casu, potuit etiam *probabiliter* negare se adulterium commisisse, intelligendo, ita ut peccatum marito revelare deberet; eodem modo quo reus potest dicere judici non legitime interroganti: *Crimen non commisi*, id est intelligendo se non commisisse, ita ut teneatur illud ei manifestare. Sic ad hæc omnia *S. Lig. n. 162, cum aliis bene multis.*

CASUS III.

RESTRICTIO MENTALIS 3^o.

CAROLINA, matrona, dum, sæviante acri persecutione, Sacerdotem ad mortem requisitum domi occultasset, aperte respondet nebulonibus postulantibus utrum ibi lateret aliquis Sacerdos: *Nullus est, nullum vidi*; vel: *Aderat aliquis, sed abiit.* Sed postea timet ne mentiando Deum offenderit:

HINC :

QUÆR. *An CAROLINA mendacii rea evaserit?*

SOLUTIO :

419. — *R. CAROLINA* a peccato mendacii excusanda est. Etenim interrogantes in his circumstantiis nullum jus habent ad responsum verum

obtinendum; insuper facillime suspicari possunt illud veritati non esse conforme: quare voluntarie decipiuntur, si fidem verbis adhibeant. Hujusmodi igitur responsio est mera formula qua utitur CAROLINA ad nebulones dimittendos; perinde ac si diceret: *Utquid me de hoc interrogatis?* vel: *Nullus ibi est Sacerdos, quatenus teneat vobis manifestare*; sicut reus non legitime interrogatus, seu ne quidem semiplene convictus, potest crimen negare, subintelligendo: *ita ut manifestare debeam.* *S. Lig. ibid. n. 163. — V. Comp. n. 443 et seq.*

CASUS IV.

DETRACTIO 1^o.

CAPRASIVS sic confitetur: « Frequenter sermones cum sociis miscendo de aliis detraxi, et vicissim aurem detrahentibus præbui. Dum audirem verba valde diffamatoria, licet mihi displicerent, non contradixi, imo potius subrisi. Tandem, aliquando aliorum delicta non quidem affirmavi, sed ut ab aliis audita retuli, absque tamen intentione detrahendi, aut « proximo nocendi, sed solum discursus gratia. »

HINC :

QUÆR. 1^o *Quid judicandum de CAPRASIO in his casibus? et quid Confessario sit agendum?*

2^o *An pœnitens declarare debeat numerum personarum de quibus detraxit, et etiam numerum audientium?*

3^o *Quomodo reparandum sit famæ damnum, tum per detractionem, tum per calumniam illatum?*

SOLUTIO :

420. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o CAPRASIVS *per se* graviter peccavit, tum detrahendo, tum detractionem audiendo, et quidem toties quoties id fecit. Sed male confitetur, quia numerum peccatorum, si gravia sint, exprimere debet in quantum fieri potest. Neque ex hujusmodi confessione satis colligi potest utrum, vel quando graviter peccaverit. Hinc Confessarius supplere debet, pœnitentem interrogando de necessariis ad confessionis integritatem procurandam, et rectum de reo iudicium efformandum.

2^o Peccavit graviter CAPRASIVS audiendo verba valde diffamatoria cum externa approbatione, licet intus in iis minime sibi complacuerit, propter scandali rationem. Non tamen videtur graviter peccasse ex eo quod non contradixerit: plerumque enim persona particularis a peccato gravi excusatur, si detractionem non impedit, quia plerumque constare nequit correctionem profuturam esse. *S. Lig. n. 979-981. — V. Compend. n. 453.*

3^o Peccavit etiam graviter, si audita referat coram iis qui verisimilium sunt credituri, v. g. si asserat se audivisse a persona fide digna, quia præbet causam sufficientem malum credendi. Secus, si audita non referat tanquam ex fide dignis accepta, ita ut audientes ad credendum parum commoveat. *S. Lig. n. 977.*

421. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o Pœnitens declarare debet numerum personarum de quibus detraxit in materia gravi, quia tot injurias commisit quot sunt personæ in fama læsæ. 2^o Non tenetur autem probabiliter declarare numerum audientium, quia detrahere coram pluribus est circumstantia mere aggravans; jus enim ad famam est unicum apud omnes, non vero multiplex. *S. Lig. de Peccatis, n. 49. — V. Comp. t. 1, n. 165.*

422. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Calumniator tenetur dicta retractare et quidem, *per se*, cum jactura famæ propriæ, si aliter reparatio fieri nequeat, quia *melior est conditio innocentis quam nocentis*. 2^o Detractor simplex dicta retractare nequit, quia sic mentiretur, sed famam ablatam restituere debet alio modo, in quantum potest, v. g. dicendo se male locutum esse, etc., etc., vel saltem, data occasione, prudenter laudando et extollendo eum cui detraxit. *S. Lig. n. 992. — V. Comp. n. 445 et seq. et 458.*

CASUS V.

DETRACTO 2^o.

PASCHALIS, sciens occultissimum crimen a PETRO commissum, illud PAULO manifestavit, et quidem adhibito juramento ad fidem sibi conciliandam. Exegit tamen a PAULO, sub pari juramenti religione, ne rem ulli prorsus unquam aperiret. Secretum autem citissime fregit PAULUS, facinusque PETRI revelavit quibusdam domesticis suis, qui subinde aliis atque aliis patefecerunt. Pœnituit postea PAULUS tum de violata juramenti fide tum de infamia quam PETRO intulerat, et jam erat determinatus ad PETRUM, in quantum fieri posset, redintegrandum, palam professurus in iis quæ de PETRO asseruerat se omnino fuisse deceptum. Sed certior subinde factus est se paulo antea a PETRO fuisse gravius etiam infamatum. Decernit proinde se non daturum esse operam famæ PETRI reparandæ, nisi prius PETRUS suam propriam famam resarciat.

HINC :

QUÆR. 1^o *An PASCHALIS graviter peccaverit, crimen PETRI uni soli viro manifestando?*

2^o *An contra Religionem peccaverit, utendo juramento ad confirmandum PETRI crimen?*

3^o *Quomodo peccaverit PAULUS, proprium juramentum violando?*

4^o *An cesset, vel suspendatur obligatio famam restituendi, si infamatus magis vel æqualiter suum detractorem infamavit?*

SOLUTIO :

423. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o PASCHALIS peccavit sane graviter, si præviderit saltem in confuso PAULUM revelaturum esse secretum ipsi commissum. Secus, *controvertitur*; *probabilius* quidem affirmant communius Theologi : attamen *probabiliter* etiam negant magni ponderis auctores;

quia non præcise violatur fama per detectionem uni viro factam, siquidem fama in communi hominum æstimatione consistit. *S. Lig. hoc probabile dicit, n. 973.*

424. — *R. ad 2^m Quæst. Affirmative*, quia sine causa, seu sine iudicio juravit, et nomen Domini inutiliter invocavit. Non tamen videtur hoc veniale excedere, cum juramentum ad veritatem confirmandam adhibitum fuerit. Graviter autem peccaret contra Religionem, qui juraret se crimen patraturum esse; quia nomen Dei invocaret in testimonium rei illicitæ peragendæ, et sic Deum quasi sponsorem iniquitatis efficeret. PAULUS autem graviter peccavit tum contra Religionem, violando in re gravi juramentum proprium; tum contra justitiam, secretum propalando cum detrimento famæ PETRI. *S. Lig. l. 4, n. 146.*

425. — *R. ad 3^m Quæst.* PAULUS peccavit graviter tum contra Religionem, tum contra justitiam. Commisit enim detractionem in re gravi, crimen PETRI omnino occultum domesticis suis manifestando; quia damnum grave intulit famæ PETRI, eum diffamando apud plures, et prævidendo hanc infamationem ab eis propagatum iri. Ergo violavit justitiam in re gravi. Ergo eodem modo violavit etiam Religionem, cum idem in casu sit objectum detractionis et obligationis juramenti.

R. ad 4^m Quæst. Controvertitur utrum detractor excusetur a restitutione famæ, saltem ad tempus, donec alter, qui ipsi detraxit, etiam damnum famæ reparare velit. Alii *affirmant*, alio vero *negant*. Utraque sententia *probabilis* dicitur a *S. Lig. n. 999. — V. Comp. n. 448-461.*

CASUS VI.

DETRACTIO 3^o.

1^o SYLVIA, famula, derelicto domino, spectabili viro, cum audisset VERONICAM, honestam puellam, eidem domino sua addixisse officia, eam ab illo famulatu avertere conata est, asserendo eum esse virum valde singularem ac difficilem. Verum, cum VERONICA dictis suis fidem non adhiberet, dixit aperte eum esse moribus perditum, et ancillis ipsi inservientibus periculosissimum.

2^o BALDUINUS nuptias OCTAVIÆ, puellæ divitiis et animi dotibus præclaræ, ambit. Contractis sponsalibus, jamjam ineundum est matrimonium, cum interea OCTAVIA rescit a BARBARA BALDUINUM in iram et ebrietatem valde proclivem esse. Hoc audito, OCTAVIA BALDUINI nuptias respuit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An peccaverit SYLVIA herum diffamando?*

2^o *An BARBARA peccaverit defectus graves BALDUINI OCTAVIÆ manifestando?*

3^o *Quid generatim de his qui aliorum defectus revelando impediunt matrimonium, consecutionem hæreditatis, aut alterius beneficii?*

SOLUTIO :

426. — *R. ad 1^m Quæ.* SYLVIA minime peccavit herum apud VERONICAM diffamando. Etenim detractio importat injustam proximi denigrationem; atqui denigratio facta a SYLVIA non fuit injusta, siquidem ex gravi, et proinde ex justa causa habita est, nempe ad bonum animæ, seu ad salutem VERONICÆ. Ergo... *S. Thom.* 2. 2. q. 73, art. 2.

R. ad 2^m Quæ. Nego. Ratio patet ex dictis; BARBARA enim officio caritatis erga OCTAVIAM fungitur. Ergo a peccato detractio omnino excusanda est. Secus foret dicendum, si manifestaret leves defectus, quales facile in omnibus reperiri possunt, sed ita ut animum OCTAVIÆ a BALDUINO averteret.

427. — *R. ad 3^m Quæ.* Distinguendum est. 1^o Si ex motivo caritatis vel ex ratione gravi, v. g. ad bonum communitatis, familiæ, vel etiam personæ privatæ agant ii qui aliorum veros defectus, licet graves, aperiant, minime peccant; tunc enim illi quorum defectus revelantur, jus non habent ut non detegantur.

2^o Si vero defectus, etsi leves, agglomerentur vel exaggerentur, vel si graves supponantur, aut veri, sine ratione vel malevolo animo manifestentur, si motiva dolosa subjiciantur, ita ut inde mutetur animus personæ beneficium concessuræ, detractores graviter peccant, tum contra caritatem, tum contra justitiam, et *per se* ad damnorum reparationem tenentur, *V. Comp.* n. 447-671. — *Lacroix*, l. 3, part. 2, n. 1208.

CASUS VII.

DETRACTIO ET CALUMNIA.

MARTINUS, quoties adest occasio ut cum MENANDRO, familiari suo, de PAULO, nepote illius, loquatur, semper aliquod leve istius vitium, modo verum, modo falsum, refert. Hinc PAULUS paulatim e gratia MENANDRI decidens in periculo versatur amittendæ hæreditatis, jam ab eodem sibi, ut magis propinquo consanguineo promissæ. Hujusmodi periculi mox admonitus PAULUS, illud propulsare statuit. Quamobrem MARTINI epistolam a se olim dolose subreptam, et contra MENANDRUM acerbissime scriptam, huic ipsi legendam exhibuit. Quid tum MENANDER? MARTINUM, tanquam nebulonem pessimum, e domo sua perpetuo exclusum voluit; PAULO vero pristinam benevolentiam restituit, et eum universalem honorum suorum hæredem declaravit.

Hinc :

QUÆR. 1^o An MARTINUS, ob leves detractioes et calumnias contra PAULUM, graviter peccaverit?

2^o An PAULUS, ad vitanda damna sibi ex detractioibus MARTINI imminencia, licite uti potuerit epistola ejusdem MARTINI dolose subrepta?

SOLUTIO :

428. — *R. ad 1^m Quæ.* Affirmative. Ratio est, quia congerendo tot

defectus, licet leves, in miserum PAULUM, graviter ei nocuit apud MENANDRUM, ita ut hujus benevolam animam injuste ab illo averteret. Etenim MARTINUS causa fuit cur PAULUS famam adhuc simpliciter bonam amitteret, haud secus ac si quis vulnerato multoties leviter vulnus leve adderet, quo accedente, vulnus lethale efficeretur. Hoc merito dicendum est, si defectus leves propalati, sint veri; sed a fortiori, si falsi sint. *Lacroix*, l. 3, part. 2, n. 1208. — *Lugo*, D. 15, n. 22.

429. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o Generatim non licet uti notitia injuste acquisita ad nocendum alteri; quia, juxta pervulgatum axioma: *Nemini fraus sua patrocinari debet*. Insuper quicumque injuriam intulit, tenetur eam tollere, vel saltem eam non continuare; atqui utens secreti alieni notitia injuste acquisita in damnum proximi, non solum non tollit, sed continuat injuriam: ergo hac utendo graviter peccat, et contrahit obligationem restituendi pro rata spei quam habuit proximus ad quoddam beneficium obtinendum. Præterea, si injuste aliquam notitiam accepisti, non est moraliter tua: ergo te gerere debes perinde ac si eam non haberes.

430. — 2^o Sed hic occurrit specialis difficultas, ex eo quod PAULUS non utatur notitia injuste acquisita, nisi ad magnam injuriam ex parte MARTINI propulsandam, seu ad se redimendum a vexatione gravissima et injustissima. Propterea exceptio in ejus favorem admittenda est, et proinde ipse ab omni peccato absolvendus. Etenim dantur circumstantiæ in quibus licite revelatur crimen verum alterius, et licite acquiritur notitia secreti alieni, v. g. ad avertendum damnum grave proprium, quod alio modo propulsari nequit. Sic potes aperire alterius litteras, quæ casu in manus tuas incidunt, si graviter suspiceris eas esse contra te injuste scriptas, vel eas rationem injuriam declinandi continere. Ergo, si prius illicite litteras aperuisti, vel obtinuisti; iis nunc uti potes licite ad te redimendum ab injusta vexatione, alio modo deficiente. Notitia enim quam habes, nunc justificatur, et moraliter fit tua in ordine ad usum; quemadmodum si furatus fueris aureum, et postea incidas in necessitatem in qua aureum licite eriperes, licite uteris aureo furtivo, quia usus ejus per præsentem necessitatem justificatur. Ergo pariter, si litteræ MARTINI nunc in manus PAULI inciderent, et suspicaretur PAULUS eas rationem continere qua damnum injustum a MARTINO allatum effugiat, sane eas aperire et adhibere posset. Ergo etiam PAULUS notitia prius illicite acquisita, nunc licite uti potest. Ergo... *Lacroix*, n. 1232 et 1233. — *Lugo*, D. 14, n. 148. — *V. S. Lig.* n. 969.

CASUS VIII.

INFAMIÆ PROPAGATIO.

GUIDO, illegitimus viri nobilis filius, postquam adolevit, successit in Hispaniam, ubi macula nativitalis ejus illegitimæ ignota prorsus erat, ut ad altiora quam in solo natali promoveretur. Postquam jurisprudentiæ sedulo se applicasset, ad senatoriam promotus est dignitatem, et uxorem duxit prædivitem, ex qua duos genuit filios. Hucusque bene. Sed ecce infelici

GUIDONI calamitosus intervenit casus! In eam regionem venit ASCANIUS ejus concivis, et natales ejus illegitimos vulgavit. Unde cœpit GUIDO viles cere, et exortæ sunt dissensiones graves inter eum et uxorem, ac hujus consanguineos.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quandonam infamatio dicatur publica seu notoria?*

2^o *An liceat infamiam, publicam in uno loco, divulgare in alio loco ubi latet?*

3^o *An ASCANIUS peccaverit contra justitiam, et ad aliquam compensationem teneatur?*

SOLUTIO :

431. — *R. ad 1^m Quæs.* Tripliciter infamatio potest esse publica, scilicet : 1^o jure, seu per sententiam judicis; 2^o facto, quando res infamans coram tam multis habita est, ut nulla tergiversatione celari possit; 3^o quando fama de crimine vel re infamante, ex sufficientibus indiciis orta, pervenit ad majorem partem communitatis, vel ad tam multos de communitate, ut, spectatis circumstantiis, certo divulganda sit, et ejus notitia brevi perventura est ad majorem partem communitatis, seu civitatis, pagi, parochiæ, monasterii. Porro crimen notum majori parti communitatis, pagi, parochiæ, etc., non censetur publicum absolute et respectu omnium, sed tantum respectu illius communitatis, etc... Juxta *Lugo, Layman et alios*, ad publicitatem criminis in communitate sufficit, si communitas 500 habeat incolas, ut 30 cives, vel 40 dispersi id intellexerint. Si pagus habeat 40 domos, satis est ut id sciant 10 vel 8 ex diversis domibus. Et sic de aliis locis, eadem servata proportione; sed quod multi complices criminis illud sciant, per hoc non est notorium. *S. Lig. n. 975.*

432. — *R. ad 2^m Quæs.* 1^o Si crimen fit publicum per sententiam judicis absolute et publice latam, licet illud manifestare in quibuscumque locis, verbo, scripto, typo, saltem citra peccatum contra justitiam. Ratio est, quia, hoc ipso quod judex ferat sententiam in reum, intendit eum spoliare jure suo ad famam, in criminis vindictam, et dare omnibus licentiam illud ubique promulgandi, ut cæteris ubique sit in exemplum et terrorem. *S. Lig. n. 974.*

2^o Si vero sit publicum publicitate facti vel famæ, potest per se revelari sine injuria aliis nescientibus, tum in eodem loco, tum in loco vicino, ubi facile et brevi pervulgandum est. Ratio est, quia infamatus jam amisit jus ad famam in iis locis. An vero divulgari possit crimen in aliis locis ubi latet, nec moraliter publicandum est? *Controvertitur.* Sic videtur distinguendum cum *S. Lig. n. 974. Probabilius* potest vulgari crimen ingens valde probrosum, vel scandalosum, aut societati nocivum, ut homicidium, proditio, etc... Ratio est, quia expedit bono communi facinorosos homines non ignorari, ut ab eis caveant omnes. Secus vero, si agatur de aliis peccatis, quia reus adhuc servat jus ad famam, nec ratio boni publici invocari potest, et proinde iste injuste fama sua spoliaretur.

433. — *R. ad 3^m Quæs.* ASCANIUS certo peccavit graviter contra cari-

tatem et justitiam, infamiam GUIDONIS in Hispania ubi erat ignota propagando.

Dicunt quidem plures Theologi non esse grave manifestare defectus naturales aliorum, etiam vitium nativitatis, quia isti defectus non sunt morales. Hoc probabiliter in multis circumstantiis admitti potest. Sed saltem intelligendum est, modo non sequatur inde notabile detrimentum infamato. Porro in nostro casu maximum sequitur damnum misero GUIDONI, ut patet. Nec requirit bonum publicum ut ii defectus manifestentur, cum sint mere naturales, nec a voluntate hominis pendeant, nec proinde eorum manifestatio inservire queat ad homines a sceleribus deterrendos. Ergo GUIDO fuit injuste diffamatus. Ergo ASCANIUS injuriæ auctor tenetur ad damnum, in quantum fieri potest, reparandum. *Reuter. part. 3. n. 411.*

CASUS IX.

CONTUMELIA.

JULIA, rixans cum RUFINA, huic objicit quod sit illegitime nata. Id ferre non valens RUFINA, eam ad magistratum defert. Non desunt testes, veritatem injuriæ illatæ confirmantes, cum mulierum rixa in media platea locum habuerit; JULIA, de injuriosa appellatione convicta, damnatur a magistratu ad mulctam, necnon ad expensas itineris ad urbem a RUFINA factas, ei refundendas. Obtemperat quidem mandato judicis JULIA, cum aliter facere nequeat. Sed postea clam subducit RUFINÆ tantum quantum ei solvit, eo quod a pluribus audierit revera esse illegitimam, et proinde se injuste damnatam fuisse.

HINC :

QUÆR. 1^o *An JULIA graviter peccaverit dicendo RUFINÆ coram aliis bene multis, quod sit illegitima?*

2^o *An potuerit se compensare licite?*

SOLUTIO :

434. — *R. ad 1^m Quæs.* *Affirmandum* videtur. *Per se* quidem, juxta multos, non est grave revelare defectus naturales alterius, nec excluso vitio nativitatis, nisi aliud damnum sequatur quia non sunt morales, nec proinde censentur infamare apud prudentes. Verum in nostro casu agitur de contumelia seu de convicio gravissimo, et cum contemptu ingesto, quod per se grave est. Nec videtur excusanda a peccato gravi JULIA, licet vitium nativitatis verum sit et notorium quia peccati gravitas ex ipsa contumelia, seu ex gravi læsione honoris in hoc casu repetenda est. Secus vero dicendum foret probabiliter, si JULIA vitium nativitatis, RUFINÆ incognitum, aliis manifestasset, secluso tamen alterius damni periculo. Esset autem gravis infamatio, si illud de persona valde honorata diceretur, nec res notoria foret; quia, etiam secluso alio damno quocumque, magnam famæ jacturam apud alios pateretur. Hæc igitur omnia pendent a circumstantiis, ut dicit *S. Lig. n. 967.*